



Svmma Juris Canonici

Comprehensa Tribus Partibus In Qva Distincte Et Svccincte Explicantur,
quæ ad personas, negotia, & iudicia Ecclesiastica ex Canonum præscripto,
pertinent

Sive Antinomia Ivris Pontificii Et Cæsarei - per CCL. Differentias plurium
Doctorum auctoritate probatas, singulari studio in certas classes reducta,
discussa, & explicata

Strein, Johann

Coloniæ Agrippinæ, 1658

LXIII. Differentia 7. Iure Canonico reperitur malitiæ ultra juramentum
veritatis, & calumniæ,

[urn:nbn:de:hbz:466:1-61864](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-61864)

Iure Canonico reperitur iuramentum malitiæ ultra iuramentum veritatis & calumniæ, c. 1. & 2. de juram. calumn. in 6. secus Iure civili, quia reperitur solum iuramentum veritatis, & calumniæ, non autem illud malitiæ, To. tit. ff. & C. de iurejur. & juram. calumniæ. Ioann. Bapt. à S. Blasio 197.

I. Iuramentum malitiæ vocatur, quando ante litem contestationem Iudex suspicatur alterutrum ex litigantibus malitiosè id, quod proponit, prætere, ideoque in actu huiusmodi particulari iuramentum malitiæ defert. *Mynsing. l. 4. Inst. tit. 16. pag. 683.* Iuramentum veritatis ideo sic appellatur, quia olim dicebat Iudex: *Iurane, respondere veritatem, cum eris interrogatus?* Iuramentum calumniæ dicebatur olim, quod litigantibus ita deferebatur, ut auctores quidem iurarent, se non calumniæ causam litem intendere; rei verò se non calumniæ causam ad inficias ire, *l. Inter 44. §. 4. ff. Famil. hercis.* Calumniari enim idem est, quod falsum crimen intendere: calumniæ malitiosa & mendax infamatio, *l. 1. ad S. C. Turpil.* Præterea uterque actor nimirum, & reus iurare debet, quod nihil omninò patrocini causam iudicibus, aut alteri cuicumque vel dederit, vel promiserit, vel daturus sit, per se, vel per alium, præterquam advocatis honoraria, cæterisque, quibus à iure dari permittitur. *Auth. Principales, C. de iur. cal. iuncta l. Plebisito 18. ff. de off. pres.* Item quod

neuter exigit ullam probationem, quam non existimet necessariam, *Auth. In off. C. de iurejur. Canis. l. 4. tit. 8.*

II. De hoc iuramento *Gloss. in c. 1. de iur. cal. in 6.* notat olim in causis spiritualibus adhibitum non fuisse, sed solum de veritate dicenda, ut supra dicitur. Nam iura præsumebant, quòd in causis spiritualibus non committeretur tam cito calumniæ, ut in causis profanis: sed postmodum experientia docuit contrarium, & propterea pontifex relictus, posse in quacunque litem parte exigi iuramentum calumniæ, aut veritatis. *Si, aut, de calumniæ, seu de veritate dicenda in primo litis exordio non iuretur (ut debet) poterit postmodum in quolibet parte litis iurari: cum huiusmodi iuramenta præstari ab initio de substantiâ ordinis iudicarii non existat.* *l. Item c. 2.* In omnibus autem causis nedum ante, sed etiam postquam litem fuerit contestata, sive de veritate, sive de calumniæ sit iuratum in ipsis, potest iudex à partibus exigere iuramentum malitiæ, quoties viderit expedire.